

funt usque ad Christum ducem, quas prædixerat Daniel Propheta.

Adest nihilominus & is qui per Job prædictus est belluam ingentem consumpturus: qui & dedit potestatem familiaribus suis discipulis calcare super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici nihil ab eo nocendis.

PAMPHILUS. Hæc est de summis rebus: id est, de sancta Trinitate Originis fides: quam ex paucissimis testimoniis, de compluribus ejus voluminibus assumptam edocui-mus. Et quid tam rectum, quid tam verum, quid tam catholicum, quid certe ad instructionem omnium magis utile, vel apud istos certe ipsos qui inimica adversus eum mente de-serviunt, quid tam irreprehensibile? Et quidem in summa hæc posuisse de fidei ejus documento ac probatione, sufficeret: nisi etiam ad reliqua quorum eum criminantur respondere necessarium videretur.

Intueamur tamen quæ sint istæ ipsæ criminationes, quæ à malevolis intenduntur.

Prima illa est, quod dicunt eum innatum dicere Filium Dei.

Secunda, quod dicunt eum per prolationem, secundum Valentinum fabulas, in substantiam venisse Filium Dei dicere.

Tertia, quæ his omnibus valde contraria est: quod dicunt eum secundum Artemam, vel Paulum Samosatenum purum hominem: id est, non etiam Deum dicere Christum Filium Dei.

Quarta post istas est, quæ omnibus istis adversatur, cæca enim est malitia, quod dicunt eum dicere *θεωτα*, id est, putativè tantum & per allegoriam, non etiam secundum ea quæ juxta historiam referuntur gesta esse, quæ omnia à salvatore gesta sunt.

Quinta illa quoque criminatione est, qua asserunt eum duos Christos prædicare.

Sexta, addunt illud quoque quod historias corporales, quæ per omnem sanctam Scripturam referuntur de gestis sanctorum, penitus denegat.

Septima, sed & de resurrectione mortuorum, & de impiorum pœnis, non levi impugnant eum calumnia, velut negantem peccatoribus inferenda esse supplicia.

Octava, quidam vero disputationes ejus, vel opiniones quas de animæ statu, vel dispensatione differunt, culpant.

Nona & ultima vero, in eum est criminatione illa, quæ cum omni infamatione dispergitur *μετενομοματίας*: id est, quod humanas animas in muta animalia, vel serpentes, vel pecudes asserat transmutari post mortem: & quod etiam ipsæ mutatorum animalium animæ rationabiles sint. Quam criminationem idcirco novissimam posuimus: ut plura de libris ejus coaccervantes exempla, evidentius ejus falsitas nosceretur. Si ergo bene meminimus ordines criminationum, quas supra conscripsimus, incipiamus à prima.

QUOD EX DEO PATRE NATUS EST
filius unius cum patre substantiæ. Ex primo libro
Epistolæ ad Romanos. Origenes.

QUÆRAT fortassis aliquis si filius charitas est: præcipue propter hoc quod Joannes ad Deum Patrem retulit hanc vocem, dicens, quia Deus charitas est. Sed rursus ex ipsa ejus Epistola proferemus & illud quod ait: Charissimi diligamus invicem: quoniam charitas ex Deo est. Qui ergo dixit, quia Deus charitas est: ipse iterum docet charitatem esse ex Deo, quam charitatem credo non esse alium nisi unigenitum filium ejus: sicut Deum ex Deo, ita charitatem ex charitate progenitam. Unigenitus filius salvator noster, qui solus ex patre natus est, solus natura, & non adoptione filius est. Unus ergo verus Deus solus habet immortalitatem: lucem habitat inaccessibilem. Unus ait verus Deus: ne scilicet multis veri Dei nomen convenire credamus. Ita ergo & hi qui accipiunt spiritum adoptionis filiorum, in quo clamant, abba Pater, filii quidem Dei sunt: sed non sicut unigenitus filius. Unigenitus enim natura filius, & semper & inseparabiliter filius est: ceteri vero pro eo quod susceperunt in se Filium Dei, potestatem acceperunt Filii Dei fieri. Qui licet non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt: non tamen ea nativitate sunt nati, qua natus est unigenitus filius. Propter quod quantum differentiam verus Deus habet ad eos quibus dicitur,

ego dixi dii estis: tantam habet differentiam verus filius ad eos qui audiunt, filii excelsi omnes.

DE LIBRO EPISTOLÆ AD HEBRÆOS.
Quod *ὁμοιωσις* est cum Patre Filius, id est,
unius substantiæ.

INTERROGAMUS igitur eos quos piget confiteri Deum esse Filium Dei, quomodo poterat sola humana natura, nihil in se habens eximium, neque aliquid divinæ substantiæ, hæreditatem capere, omnem principatum, & omnem potestatem & virtutem, & his omnibus præferri ac præponi à patre. Unde rectum videtur quod præstantior esse debeat is qui hæreditatem capit: & genere utique & specie & substantia & subsistentia vel natura, atque omnibus quibuscumque modis debet esse præstantior.

PAMPHILUS. Et post pauca in eodem libro. ORIGENES. Cum autem discutitur hoc quod dictum est, de Filio Dei quod sit splendor gloriæ: necessario videtur simul differendum, & illud quod dictum est, non solum quia splendor est lucis æternæ, sed & quod huic simile in sapientia Salomonis refertur: in qua seipsum sapientia describit, dicens: Vapor est enim virtutis Dei, & aporrhæa omnipotentis Dei gloriæ purissima.

PAMPHILUS. Et post aliquanta. ORIGENES. Oportet autem scire nos: quia per ineffabilia quædam & secreta & recondita quodammodo, vim sibi faciens scriptura sancta, conatur hominibus indicare, & intellectum suggerere subtilem, vaporis nomen inducens. Quod ideo de rebus corporalibus assumpsit: ut vel ex parte aliqua possimus intelligere: quomodo Christus qui est sapientia, secundum similitudinem ejus vaporis, qui de substantia aliqua corporali procedit: sic etiam ipse ut quidam vapor exoritur de virtute ipsius Dei: sic & sapientia ex eo procedens, ex ipsa Dei substantia generatur: sic nihilominus & secundum similitudinem corporalis aporrhææ esse dicitur: aporrhæa gloriæ omnipotentis pura quædam & sincera. Quæ utraque similitudines manifestissime ostendunt communionem substantiæ esse filio cum patre. Aporrhæa enim *ὁμοιωσις* videtur, id est, unius substantiæ cum illo corpore ex quo est vel aporrhæa vel vapor.

PAMPHILUS. Satis manifeste, ut opinor, & valde evidenter ostensum est, quid Filium Dei de ipsa Dei substantia natum dixerit, id est, *ὁμοιωσις*, quod est ejusdem cum patre substantiæ: & non esse creaturam, neque per adoptionem, sed natura filium verum, & ex ipso patre generatum. Superest ut & secundæ criminationi illatæ sibi ab acculatoribus per nos quidem prolatis: sed suis verbis ipse respondeat, duobus vel tribus testimoniis adhibitis, quibus æquum est secundum legem nostram omne verbum stare.

NON PER PROLATIONEM NATUM
esse Dei Filium, secundum Valentinum
impietatem. Origenes.

EGO arbitror quod sufficere debeat voluntas Patris, ad subsistendum hoc quod vult pater. Volens enim non alia via utitur, nisi quæ consilio voluntatis profertur. Ita ergo & ab eo filii subsistentia generatur: quod necesse est in primis suscipi ab his qui nihil ingentium, id est, innatum præter solum Deum Patrem fatentur. Observandum namque est, ne quis incurrat in illas absurdas fabulas eorum, qui prolationes quasdam sibi ipsis depingunt: ut divinam naturam in partes vocent, & Deum Patrem, quantum in se est, dividant: cum hæc incorporea de natura vel leviter suspicari, non solum extremæ impietatis sit, verum etiam ultimæ insipientiæ: nec omnino vel ad intelligentiam consequens: ut incorporeæ naturæ substantialis divisiō possit intelligi. Magis autem sicut voluntas procedit à mente, & neque partem aliquam mentis secat, neque ab ea separatur, aut dividitur: tali quadam specie putandus est pater filium genuisse, imaginem scilicet suam: ut sicut ipse est invisibilis per naturam, ita imaginem quoque invisibilem generit. Verbum enim est filius, & ideo nihil in eo sensibile intelligendum est. Sapientia est, & in sapientia nihil corporeum suspicandum est. Lumen est ve-

rum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: sed nihil habet commune ad solis hujus lumen.

DE HIS IPSIS EX LIBRO QUARTO
πρὸς ἀγγέλους.

TEMPUS est decursus his, quæ de Patre & Filio & Spiritu sancto differimus: de illis quoque quæ à nobis relicta fuerunt pauca repetere. Deus Pater & cum invisibilis sit, & inseparabilis à filio: non per prolationem ab eo, ut quidam putant, generatus est. Si enim prolatio est filius patris: prolatio vero dicitur, quæ talem significat generationem, qualis animalium vel hominum solet esse progenies: necessario corpus est, & is qui protulit, & is qui prolatus est.

PAMPHILUS. Tum deinde in consequentibus vehementius adversus hæresim Valentinianæ scribentem invecus, longe his contrariam suam sententiam secundum catholicæ fidei protulit veritatem.

DE HIS IPSIS EX SECUNDO LIBRO
super Joannem.

UNIGENITUS ergo Deus Salvator noster, solus à patre generatus: natura & non adoptione filius est. Natus autem ex ipsa patris mente: sicut voluntas ex mente. Non enim divisibilis est divina natura, id est, ingenti patris: ut putemus vel divisione vel imminutione substantiæ ejus, filium esse progenitum. Sed mens sive cor, aut sensus de Deo dicitur est, inconcussus permanens, germen proferens voluntatis, factus est verbi pater. Quod verbum in sinu patris requiescens, annunciat Deum, quem nemo vidit unquam: & revelat patrem, quem nemo cognovit nisi ipse solus his, quos ad eum pater cælestis atraxerit.

PAMPHILUS. Sufficiat per hæc respondisse secundæ criminationi: nunc consequenter respondebimus etiam his, qui purum hominem, id est, sine Deo, ab eo dici asserunt Christum.

QUOD NON PURUS HOMO, SED
divinæ naturæ sit Christus. De primo libro
πρὸς ἀγγέλους. Origenes.

EX eo quod dicit Apostolus Paulus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum: manifeste datur intelligi, quia non erat homo Christus Jesus, sed erat divina natura. Non enim si homo esset, dixisset Paulus hoc quod ait: Paulus Apostolus, non ab hominibus, neque per hominem. Si enim homo fuit Jesus, & per ipsum assumptus est in apostolatam Paulus, utique per hominem erat factus Apostolus. Si autem per hominem erat factus Apostolus: nunquam dixisset, quia neque per hominem. Sed manifeste separat ab humana natura Jesum Paulus per hæc verba. Non enim sufficit ei dixisse, neque per hominem, sed adjecit dicens: sed per Jesum Christum. Quem utique quia sciebat excellentioris naturæ esse: propterea se dixit non assumptum esse per hominem.

PAMPHILUS. Hæc in initio Epistolæ dicens, in sequentibus libris ipsius similia adjecit: exponens illud capitulum in quo scriptum est: Notum autem vobis facio fratres Evangelium quod prædico vobis: quoniam non est secundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, sed per revelationem Jesu Christi. Adverte ergo quid scribit.

ORIGENES. Quia convenienter quis & hæc adjungens prioribus, ostendere poterit his qui negant deitatem Jesu Christi, sed hominem eum solum pronunciant: quod non est homo, sed Deus Filius Dei Jesus Christus. Sic enim dicit Apostolus: Quia Evangelium quod evangelizavi vobis, non est secundum hominem, sed secundum Jesum Christum. Evidenter ergo ostendit, quia Christus Jesus non est homo. Si autem non est homo, sine dubio Deus est: imo non aliud erit nisi homo & Deus. Et iterum, si verum est quod dicit Paulus: quia non ab homine accepi illud Evangelium, sed per revelationem Jesu Christi: certum est quia Jesus Christus, qui revelavit, non est homo. Alienum est ab homine revelare, quæ ei occulta sunt & velata sunt. Quod etiam si aliquando per hominem fiat, non tamen ab homine fit, sed ab eo qui in homine loquitur Christus.

PAMPHILUS. Tempus est his ita evidenter ostensis, nos etiam ad insequentis criminationis tendere defensionem, brevitatis studio paucorum testimoniorum probatione contentos: adversus eos qui dicunt eum per allegoriam adimere omnia quæ de salvatore scripta sunt corporaliter facta.

ORIGENES. Adjungendum est etiam illud his quæ supra diximus, quoniam corpus Christi non erat alienum à terrena substantia, secundum hoc quod filius est David, & filius est Abraham, sicut scribit Matthæus: Liber generationis Jesu Christi Fili David, filii Abraham. Et sicut Paulus dicit: Christum esse ex semine Abraham, & ex semine David secundum carnem. Quod ergo dictum est, quia consummatus quadraginta diebus jejunii & quadraginta noctibus, postea esurivit sine dubio hoc indicat, quod evacuati & repleri similiter ut nostra corpora solent, etiam illius poterat corpus.

Si vero quis objiciat nobis hujus miraculi rationem, de quadraginta dierum jejunio, facile solvi potest, cum adhibetur etiam illud exemplum de Moysè & Elia, qui similiter petulisse jejunium referuntur.

Sed & illud quod itineris labore & æstu fatigatus, sedens super puteum requiescit & sitit: quid aliud indicat nisi nervorum fatigationem: & solis ardore nimio, elementum corporis humoris absumptum: Quod vero in melioribus occupatus, hoc quod bibere voluerat distulit, nec bibit, non propterea dicendum est, quia nec passus est sitim.

Sed & illud quod frequenter vocatur per cænas, & in conspectu omnium manducatur & bibit: non decipiens vel fallens oculos videntium facit, neque putative ut quidam arbitrantur hæc gerit: maxime cum ita fumeret cibum & potum, ut à quibusdam etiam quæsi pro præsumptione nimia culparetur, velut cibum & potum avidius ac propensius appetens.

Si autem quis violentius velit asserere, ideo hæc ita esse, quia per phantasmam manducabat: & illi quomodo id ferret nesciebant: Respondendum est ad ea, ex his quæ Dominus ipse dixit: Venit Joannes Baptista neque manducans, neque bibens, & dicit, dæmonium habet: venit filius hominis manducans & bibens, & dicit: Ecce homo devorator, & vinum bibens. Ipse enim salvatore dicente, quia venit filius hominis manducans & bibens: quomodo ausus est aliquis dicere, neque manducasse eum, neque bibisse? Quæ utique manifesta incredulitas est doctrinæ ejus. Si autem manducabat & bibebat, & substantia vini atque esæ in carnem ejus efficiebatur: sine dubio per omnes corporis ejus compages membrorum diffundebatur. Spiritualem enim naturam, sicut quidam de ejus corpore sentiunt, quod imperite satis & absurde faciunt: impossibile est vini atque esæ substantiam recipere.

Si vero quis indignans, obscænas ad hæc inquisitiones proferat, requires si etiam digestionem in corpore fiebant: nihil absurdum videtur fateri secundum consequentiam naturæ corporeæ. Si vero etiam exemplis à nobis hæc exigant affirmari: ostendendum est illos satis hæc insipienter inquirere. Ubi enim ista de Apostolis vel cæteris sanctis referuntur facta, vel etiam de impiis & peccatoribus? Sed & circumcisionis ejus ratio, nobis quidem non generabit angustiam: dicentibus eum consequenter humano corpore & circumcisum esse, & præputium ejus terræ mandatum, fortassis usque ad tempus: aut si aliter est, in alia disputatione requiretur. Hæc tamen ejus circumcisio satis coangustabit eos, qui ex diverso sunt. Spirituale enim corpus quomodo poterat circumcidi terreno ferro? Propter quod non erubuerunt quidam ex ipsis de præputio circumcisionis ejus, etiam libros edere: quibus ostendere conarentur quod in substantiam cesserit spiritualem.

Non minus autem angustabuntur etiam illi qui animale corpus dicunt esse corpus Christi. Sed & de sanguine ejus & aqua quæ processit de latere ejus hasta compuncto à milite, eadem sentienda sunt. Sed his qui sciunt quid audiatur per hoc quod dicitur: quia fixuræ clavorum erant in ejus corpore: manifeste declaratur quia caro erat terrena, id est, humana natura: quæ utique non erat talis ut recipiendorum vulnerum subterfugeret qualitatem: quasi non etiam multa humana infirmitatis in ipsa morte sensisset. Anima perturbatur, & tristis est pro ea usque ad mortem.

Quæ omnia evidenter ostendunt, quod non falso, sed quasi homo dixerit: Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Eadem nihilominus ostendit etiam somni ratio,

cum dicitur: qui erat in puppi super cervical dormiens, sicut Marcus refert: & ab homine suscitatur à somno. Hæc enim licet habeant spirituale intellectum, tamen manente prius historiae veritate, etiam spiritualis recipiendus est sensus. Licet enim cæcos semper curet secundum spirituale intelligentiam, cum ignorantia excæcatas illuminat mentes: tamen & corporaliter tunc cæcum sanavit, & mortuos semper suscitavit: fecit tamen & tunc hujusmodi miracula: sicut filium principis synagogæ, & filium viduæ, & Lazarum suscitando. Et quamvis semper cum excitatur à discipulis, compescat Ecclesiæ turbines vel procillas: tamen certum est etiam nunc gesta esse ea quæ per historiam referuntur.

Sic ergo sanum est sensum recipere scripturæ, nec oportet aurem inclinare his, qui dicunt per Mariam, non ex Maria eum natum: quod Apostolus præsciens ita prædixit: Cum autem venit plenitudo temporum, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege: ut eos qui sub lege erant, redimeret. Vides quia non dixit factum per mulierem, sed factum ex muliere.

PAMPHILUS. Quid tam evidenter aut integrè quam ex his omnibus quæ scripsit confirmatur ab eo, & dominicorum gestorum veritas, & historiae scripturarum fides? Sed persequamur consequenter etiam reliqua, in quibus accusatur quasi duos Christos dixerit, unum Dei verbum, & alium Jesum Christum: qui ex Maria natus est.

QUOD UNUS SIT CHRISTUS

Filius Dei: ex primo libro super Isaiam, Origenes.

SICUT dicit Apostolus, quoniam æmulatores estis spirituum: sic cum unus sit Spiritus sanctus, tanti per singulos dicuntur Spiritus sancti, quanti sunt hi qui habent in se Spiritum sanctum: ita & de Christo dicendum est. Ab uno enim Christo multi Christum sunt: de quibus scriptura dicit, Nolite tangere Christos meos: & in Prophetis meis nolite malignari. Sic & ab uno Deo, multi dii dicuntur: omnes scilicet hi, in quibus habitat Deus: sed nobis unus est pater Deus, ex quo omnia. Unus est ergo verus Deus, qui, ut ita dixerim, præstator est deitatis: & unus Christus factor Christorum: & unus Spiritus sanctus, qui per singulas animas sanctorum facit Spiritum sanctum. Christus vero, sicut per hoc quod Christus est, facit Christos: ita per hoc quod Filius Dei est, & filius proprius & unigenitus: omnes qui percipiunt ab eo Spiritum adoptionis, filios Dei facit.

PAMPHILUS. Unum hoc testimonium est, quod Christus verus unus sit, qui participatione sui multos faciat Christos. Adhibeamus tamen & aliud ex primo libro de Evangelio secundum Matthæum: in quo hoc modo dicit.

ORIGENES. Si Christus Jesus cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, & in similitudinem hominum factus, & habitu repertus ut homo est: humilians seipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: dubium non est, quod nativitas ejus non est talis, ut quasi qui ante non fuerit esse cœperit: sicut de nativitate hominum putatur: sed qui prius erat, & erat in forma Dei, venit ut etiam formam servi susciperet. Denique quod natum est ex carne, caro est, inquit: id est quod natum est ex ea quæ dixit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum: hæc est forma servi, quæ utique caro est.

PAMPHILUS. Et in tertio libro Epistolæ ad Colossenses de eisdem ita scribit.

ORIGENES. Data est autem lex Moyfi per angelos in manu mediatoris Christi & virtute: qui cum esset in principio verbum Dei, & apud Deum esset verbum: patri in omnibus ministravit. Omnia enim per ipsum facta sunt, id est, non solum creaturæ, sed & lex & Prophetæ, & ipsemet est mediator Dei & hominum. Quod verbum quidem in fine sæculorum homo factus est Jesus Christus: sed ante hunc manifestum in carne adventum mediator quidem erat hominum: sed nondum erat homo: erat tamen & tunc & Dei mediator hominum. Unde & data lex per angelos in ipsius mediatoris manibus data esse perhibetur: ut esset lex sancta & mandatum sanctum & justum & bonum: & omnia hæc sanctificarentur à Christo.

PAMPHILUS. Sufficere, opinor, etiam de his tribus testimoniis confutatam esse calumniam. Si quis sane offenditur, quod dixit salvatorem etiam animam suscepisse, nihil de

hoc amplius respondendum puto: nisi quod hujus sententiæ non Origenes auctor est, sed ipsa sancta scriptura testatur, ipso Domino & salvatore dicente: Nemo tollit animam meam à me: &, Tristis est anima mea usque ad mortem, & Nunc anima mea turbata est: & multa his similia in sanctis Scripturis invenies.

Supereff respondere ad illam accusationem quæ calumniatur eum omnem scripturam in allegoriam vertere, ex ipsis libris quos vel maxime obtrectatores ejus inculant: id est de quarto libro per prophetas referamus: quia non negat ea quæ in scripturis referuntur etiam secundum literam gesta.

ORIGENES. Ne quis autem suspicetur nos hoc dicere: quia nullam historiam scripturæ factam esse sentiamus: quoniam aliquam ex eis non esse factam suspicamur: vel nullam præcepta legis secundum literam stare: quoniam quadam secundum literam dicimus observari non posse: in quibus vel ratio, vel rei impossibilitas non admittit, vel ea quæ de salvatore scripta sunt, non putare etiam sensibilibus impleta, vel præcepta ejus secundum literam non debere servari.

Respondendum ergo est, quoniam evidenter à nobis discernitur, in quamplurimis servari oportere historiae veritatem. Quis enim negare possit, quod Abraham in duplici sepulchra sepultus est in Hebron: sed & Isaac & Jacob, & singulæ eorum uxores? Vel quis dubitet quod Sichima in portionem data est Joseph: vel quod Jerusalem metropolis est Judææ: in qua constructum est Templum Deo à Salomone: & alia innumerabilia. Multo enim plura sunt quæ secundum historiam vera sunt, quam ea quæ nudum sensum continent spirituales. Tum deinde quis non affirmet mandatum hoc quod præcepit: Honora patrem tuum & matrem tuam, ut beneficium tibi, sine ulla spirituali interpretatione sufficere, & esse observantibus necessarium: maxime cum & Paulus eisdem verbis repetens confirmaverit ipsum mandatum?

Quid vero oportet dicere de eo quod dictum est: Non adulterabis, non occides, non furtum facies, non falsum testimonium dices: & cætera hujusmodi? Jam vero de his quæ in Evangelio mandata sunt, ne dubitari quidem potest quin secundum literam observentur, sicut cum dicit: Ego autem dico vobis non jurare omnino. Et cum ait: Qui autem insepulchrum mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Et apud Paulum Apostolum quæ præcipiuntur: Commonete, inquit, eos, consolamini pusillanimes, sustinete infirmos, patientes estote ad omnes, & alia quam plurima.

Sed & de singulis sanctorum qui in scriptura sancta scripti sunt, quosque justos & electos Dei esse scriptura testatur: debet esse quadam fides ab his qui salvari cupiunt. Non enim potest esse perfecta in Deum fides, nisi quis habeat & hanc fidem, qua de sanctis quod sancti sunt creditur.

Quod autem dicimus, tale est: Qui crediderit in Deum, & dogmata ejus vera esse susceperit, credit & hoc quod Adam quidem primus homo formatus est: credit & de Eva, quod unam e coltis Adam sumens Deus, ædificaverit eam, ut esset ejus mulier: credit & quod Enoch, qui in annis trecentis placuerit Deo, posteaquam Matusalem genuit, translatus est: & de Noë, quia responsa accepit ut fabricaret arcam: & solus salvatus est ex diluvio, cum his tantummodo qui secum fuerant arcam ingressi: similiter & de Abraham quod meruerit testimonium Dei, & quod hospitio suscepit cum esset sub ilice Mambre tres viros, ex quibus unus erat Dominus: Credit & de Isaac, vel quomodo natus est, vel quomodo oblatum est à patre, vel quomodo responsa Dei audire meruerit.

Sed & de Jacob, quod mutato nomine, Israel à Deo cognominatus est: & de Moyse, quod per signa & virtutes ministraverit Deo. Credit & quod Jesus Nave exauditus à Deo, stare fecerit solem super Gabaon, & lunam super vallem Aialon.

Quid autem dicendum est de fidelibus judicibus, & de his quæ per eos gesta referuntur: & in Regnorum libris de Samuel, quod messium tempore pluvias à Deo poposcerit, & accepit: & de David, quem assumpsit Dominus ab ovibus ut regeret Jacob puerum suum, & Israel hereditatem suam: & de Nathan, quod prophetaverit: necnon & Gad? Sed & de Salomone quod apparuerit ei in visu Dominus: & de Elia, quod assumptus est per ascensionem in cælum effectus illis omnibus quæ scripta sunt signis & prodigiis: sed & de Elifæo, quoniam

quoniam non solum resuscitavit filium Sunamitis, sed & mortuum super ossa sua projectum? Oportet ergo unumquemque fidelium credere & omnibus quæ scripta sunt de Ezechia, quod in diebus ejus retrosum repederit umbra solis.

Est ergo fides nostra primo quidem omnium in Dominum nostrum Jesum Christum: consequenter vero in omnes etiam sanctos Patriarchas, vel Prophetas, vel Apostolos Christi, eo ordine quo superius diximus.

PAMPHILUS. Sufficenter ista ad probationem Catholicæ fidei ejus, & qualiter etiam de ipsa scripturarum historia senserit, dicta sunt. Et quoniam inter cæteras criminationes quas ei inferunt, est etiam, quam maximam ponunt, quod resurrectionem mortuorum denegat, quæ utique futura manifestè in Ecclesia prædicatur, consequens etiam est de hoc ipsius non verbis calumniosos ostendere, & mendaces evidenter arguere eos, qui etiam scripta de hoc edere adversus eum non pepererunt. Tam ex ipsis igitur libris quos de resurrectione scripsit, quam ex cæteris ejus diversis voluminibus, approbabitur etiam in hac parte quam catholicè senserit.

ORIGENES. Quomodo enim non videtur absurdum, ut hoc corpus quod pro Christo pertulit cicatrices, & pariter cum anima persecutionum toleravit tormenta sæva, carcerum quoque & vinculorum ac verberum supplicia pertulit, igne etiam cruciatum, ferro cælum est: insuper & bestiarum crudentis morsus, crucis patibula, ac diversa penarum genera perpeffum est, tantorum certaminum premiis defraudatur? Quippe si sola anima, quæ non sola certaverat, coronetur, & corporis sui vasculum, quod ei cum magno labore servivit, nulla agonis & victoria premia consequatur, quomodo non contra omnem rationem esse videatur, ut naturalibus vitiis atque ingenitæ libidini propter Christum caro resistsens & virginitatem obtinens cum ingenti labore: qui continentia labor utique, aut major corporis quam animæ est, aut certè utriusque æqualis est, præmiorum tempore altera velut indigna rejiciatur, altera veniat ad coronam.

PAMPHILUS. His assertionibus incipiens uti de resurrectione mortuorum, per totam voluminis sui seriem evidentiſſimis approbationibus usus est. In secundo vero libro eisdem materie cum prædixisset, quasi ad gentiles loqueretur, hujuscemodi suam sententiam declaravit.

ORIGENES. Nos vero post corruptionem mundi, eosdem ipsos futuros esse homines dicimus: licet non eodem statu, neque in eisdem passionibus. Non enim iterum ex conventionem viri & mulieris erunt, sed verbi gratia, ea ratio quæ continet Pauli substantiam, Pauli autem nunc dico corporalis quæ salva permanet, & cum voluerit Deus secundum ea quæ dicta sunt per sacramentum tubarum in novissima tuba facere ut mortui resurgant: per illam ipsam substantialem rationem quæ salva permanet, ut de terra pulvere resuscitentur à mortuis: ex omnibus locis in quibus ratio illa substantiæ corporalis in ipsis corporibus permanebat, quæ in terram prolapsa, Dei voluntate iterum resuscitantur. Et hoc arbitror asserere volentem dixisse Apostolum in prima Epistola ad Corinthios. Post assertionem enim resurrectionis mortuorum, cum proposuisset sibi ea quæ possent ab aliis obijci de resurrectione mortuorum, sic ait:

Sed dicit aliquis: Quomodo resurgunt mortui? Quo autem corpore venient? Stulte, tu quod feminas non vivificatur, nisi prius moriantur. Et quod feminas, non corpus quod futurum est feminas, sed nudum granum: ut puta tritici, aut alicujus cæterorum: Deus autem dat illi corpus prout vult. Cum enim manifestè ostendisset, quia mortui resurgunt, & certum esset quod Salvator noster cum ipso corpore resurrexisset, quod suscepit ex Maria: non autem suis clarum esset quomodo resurrecturi essent cæteri, vel quale corpus habituri: comparat resurrectionem feminibus quæ seminantur in terra: ut puta grano frumenti, quod cum ceciderit in terram, corrumpitur: sed rationis illius virtus est insita in interioribus ejus medullis: ipsa rationis virtus assumpta, adjacentem sibi terram vel aquæ humorem, seu aëris circumstantem temperiem, caloris quoque sufficientem recipiens fomitem, per divinam potentiam cooperantem culmi vel spicæ conflurgunt. Et hoc est quod dicit, tu quod feminas non vivificatur nisi prius moriatur: & quod feminas, non corpus quod futurum est feminas. Ergo hoc quod cadit in semen corpus nostrum, comparatum est grano frumenti.

Tom. V.

PAMPHILUS. Et assertis his per hujusmodi consequentiam, post pauca addidit etiam hæc. ORIGENES. Quod autem omnis illa reprimissio resurrectionis mortuorum de hoc corpore sit quod mortuum relinquit: sanctæ Scripturæ multis modis hoc ostendunt. Sed & hæc ipsa Domini nostri Jesu Christi resurrectio declarat: qui primogenitus ex mortuis dicitur.

PAMPHILUS. Post hæc quibusdam per medium latius disputatis, adjecit etiam ista. ORIGENES. Sicut enim plus habet omnis rationalis anima, his quæ vel crescendi, vel nutriendi, vel motus solius officium exhibere dicuntur: sic ea ratio quæ in humano corpore est, multo amplius habet, quam quæ in reliquis est corporibus: ex eo quod etiam si corruptum fuerit corpus humanum, subsistere rursus potest, Dei virtute conservatum & custoditum usque ad resurrectionis suæ tempus. Quod autem ubicumque fuerit resitutum, id est, ab omni loco in quocumque fuerit: ita ait Joannes in revelatione sua: Et reddidit mare mortuos quos habebat in se: & mors & infernus reddiderunt mortuos suos qui erant in eis. Forte enim, ut ego puto: mare hic pro humido omni appellatum est elemento: inferi autem pro aëre, mors vero pro terra. Quasi quadam namque cognationem his inter se habentibus, corpus nostrum pulverem mortis vocat scriptura, vel terram, vel corpus mortis. Sane qualis fuerit uniuersumque preparatio in hac vita; talis erit & resurrectio ejus. Qui beatus hic vixerit, corpus ejus in resurrectione diviniore splendore fulgebis, & apta ei mansio beatorum tribuetur locorum. Huic vero qui in malitia consumpsit tempus sibi vitæ presentis indultum: tale dabitur corpus, quod sufficere & perdurare possit in penis.

Et arbitror quod hanc differentiam volens ostendere Paulus Apostolus dicit: Alia caro animalium, alia volucrum, alia piscium: & cætera quæ enumeravit Apostolus. Sed sicut non est putandum, quod animalium corpus accepturus sit peccator, aut volucrum, aut piscium: sic neque solis, neque lune, aut stellarum formam sperandum est accipere eos qui resurgunt in gloria: sed exempli causa dicta esse hæc ab Apostolo sentiendum est: ut designetur per hæc quod aliis promeritis suis honorabiliores & clariiores erunt, beatiora quoque habitacula sortituri: aliorum vero indignissimus & abjectissimus pro gestorum scelere erit status: qui etiam mutis animalibus dignus sit comparari.

PAMPHILUS. Pauca hæc ad testimonium traximus ex multis & innumeris quæ per hujuscemodi sensum in ipsis libris, quos de resurrectione conscripsit, exposuit. Non autem videtur absurdum ad majorem satisfactionem, etiam de reliquis ejus libris consonas his vel pauca adhibere sententias. In vicelimo ergo & octavo libro de Isaac Propheta de illo capitulo scribens, in quo dicitur: Resuscitantur mortui & resurgunt hi qui in sepulchris sunt, ita ait.

ORIGENES. Melius ergo est dicere, quod omnes quidem resurgemus, ut & impii veniant in illum locum, ubi beatus est & stridor dentium: & justis ubi recipient unusquisque in suo ordine secundum meritum honorum gestorum suorum, cum transformabitur corpus humilitatis eorum, ut sit conforme gloriæ corporis Christi. Quod seminatam quidem est in corruptione, surget vero in incorruptione: quod seminatam est in infirmitate, surget in virtute, resurrectionis scilicet tempore: & quod seminatam est corpus animale, surget corpus spirituale.

Licet ergo omnes resurgant, & unusquisque in suo ordine resurgat: considerandum est tamen propter illum sermonem Joannis quem in revelatione sua dixit: Beatus qui habet partem in resurrectione prima, in hoc secunda mors non habet potestatem: ne forte dividi omnis resurrectionis ratio in duas partes possit, id est, in eos qui salvandi sunt justos, & in eos qui cruciandi sunt peccatores: ut sit una quidem bonorum quæ dicitur prima: illa vero quæ est miserorum, secunda dicatur: & illam quidem in omnibus esse puram, hilarem, totius plenam lætitiæ: illam vero alteram totam tristem, totam meroris plenam & actibus ac vitæ eorum dignam, qui in presentis vitæ Dei mandata contempserunt: & judicii ejus timore neglecto, seipsos tradiderunt in operationem totius immunditiæ & avaritiæ: nec se preparare conati sunt ut resisterent adversario possent adversus contrarias atque inimicas humano generi potestates.

Sepulchra autem mortuorum in hoc loco, similiter & in multis aliis, secundum certiorum scripturæ sensum accipienda

Q